

- quam in fidei honorem per ipsos correctores bullarum extitit conversum; personarum enim intrancium numerus tantummodo centesimus exprimitur, cum tamen hereticorum illorum numerus sine estimacione augeatur, simplicissime eciam quorundam sanctorum aut altarium fraternitates uberioribus decorantur privilegiis et graciis tam in vita quam in mortis articulo, que tamen^b minime contra domesticos fidei hostes militare noscuntur, qua ex re nec aspectibus hominum ab ordinariis locorum hec nostra bulla digna presentacione estimatur, cuiusmodi eciam correcciones et limitaciones de mente sanctitatis vestre a principio minime fuerunt, ubi illam simpliciter iuxta narrata gracie concessit. Accrevit insuper doloribus meis revocacio indulgenciarum noviter, ut fertur, emanata. Nam ubi in subsidium inquisitorum ac reparacionem monasterii seu conventus nativi¹⁵ undique ruinosi sanctitas vestra plenariam quandam indulgenciam gracie concessit¹⁶, subito illam per generalem edicti revocacionem¹⁷ annullavit omnes preter Johannitarum indulgencias revocando, qua ex causa immanissime^c mesticie inveni terrorem, tum propter scandalum simplicium omnem de cetero credulitatem ab indulgenciis postponencium^d, tum propter pauperrimi ipsius conventus desolacionem, qui utique plus quam in duobus milibus Floren. dampnificabitur, quod verum esse sanctitati vestre taliter lacrimosis reserare cupio singultibus. Nam ex civitate Senarum¹⁸, semel in articulo mortis positus, mille et trecentos aureos, quos a viginti et ultra annis multis laboribus presertim contra Bohemos et Thurcos predicando acquisieram, sanctitati vestre, conventum meum illis privando, destinavi, putans hoc fore iustum, cum ex laboribus et legatorum commissionibus collegeram, et ubi iam in factis illarum indulgenciarum conventus ipse diversos nuncios ad varias Germanie partes cum magnis impensis ut pote in octingentis aureis, quos accomodavit, transmisit, quid restat, nisi ut *vagus et profugus in universa terra*¹⁹ ad insultacionem omnium adversariorum fidei remaneam; nam nec in loco nativo remanere potero. Sed ne hec mea merces, qui unicus in tota

b) *übergeschrieben*.c) *īmaniffi*.d) *verbessert aus* postponentes.¹⁵) Dominikanerkloster Schlettstadt.¹⁶) „*Thesauri sanctissime passionis*“, 1483 Oktober 31; ed. Hansen, Quellen, S. 21–24 Nr. 35. Vgl. unten S. 130, 144.¹⁷) Nicht nachweisbar.¹⁸) Siena.¹⁹) Gen. 4, 14; vgl. ebd. 4, 12. Auch die Verbindung *universa terra* ist biblisch belegt, vgl. Gen. 1, 26; 7, 3; 8, 9 u. öfter.